

Quisquis nosse desiderat legat Alcoranum : generis humani miserebitur.
His confectis rebus: pronunciari se se imperat a summo deo legatum celo
demissum ad liberandum genus humanum ab iniustis exactionibus: pla-
cari eum oportere huius legis susceptioe traditum sibi a deo gladium: quo
inuitos & parere recusantes poena mortis afficiat. Sin minus tributis cogā-
tur solis armis: non uerborum ambagibus: rem diuinam diiudicandā. Fin-
xisse etiam ferunt Columbam ad eius aures aduolare solitam & Taurum
mansuefactum scripta deferre cornibus inuoluta: quasi delata celo. Legi
qui scripserit Non Mahumetum: Alcoranū edidisse: sed eius posteros scri-
pta: quae ille reliquerat collecta rithmicis uersibus composuisse. Prius autē
q̄ delecti compositores in unum conuenirent. Magnis contentioibus actū
ut nonnullas prouincias armis quoq; ad eum librum recipiendum cogi ne-
cesse fuerit. In eo autem libro sane nihil reperias ullo ordine ingenio doctri-
na: aut deniq; naturali ratione subnixum. Facile prē se fert compositum po-
tius ab arma tractante: q̄ ab homine sapientiae dedito. Omnia uim: libidi-
nem: licentiam: spirantia. Adeptus igitur: tum armis: tum iis fallaciis: ma-
gnum in oriente nomen: Arma mouet aduersus imperium. Primus illi re-
rum successus affulsit: rebellione damascenae urbis: & omnium fere syrię ci-
uitatum: conuertit inde arma aduersus Hormisdam persarum regem cos-
droe filium. Fractum aduersis paternis bellis facile compulit ad tributū:
atq; ad ipsius legem suscipiendam. Inde reuersus Antiochiam urbem ma-
ximam nobilissimamq; & christianę religionis quam parētem: per deditio-
nem recipit. Fuit hæc ciuitas duplici cincta muro: Turribus sexaginta su-
pra. cccc. ecclesiis sexaginta supra. ccc. Antiocheno uero patriarchatu tres
& quinquaginta supra centum episcopi suffraganei extitere. Quae ciuitas
nullis profecto uiribus: aut machinis expugnari poterat: quia tamen scis-
sa esset centum heresibus: Quum audissent tributorum liberationem: faci-
le afflictę gētes: & omni spe destitutę: sine certo doctore: sine lege ad excu-
tiendum tam religionis q̄ tributorum iugum: ad eum conuolauere. Si-
milem quoque cladem sacrosancta ciuitas hierosolyma perpeffa. Nulla
omnino uirtute: aut uiribus defensa: ceruicem fēdissimę genti summit-
tit. Hęc artes & hæc consilia plus etiam q̄ eblandiri spes ulla potuit. Illius
imperium propagauere. Non illa quæ nonnulli fabulosa narratione tra-
dunt. Heraclium semel acie uictum & quinquaginta supra centum mili-
bus amissis: Iterum reparato exercitu nocte ea: quæ diem pugnae precede-
bat: alia quinquaginta milia nullo inuadente hoste exanimata reperisse. At
si causas tam felicitatis citiq; progressus diligentius exquirimus: nescio an
ulla maior Mahumetum iuuerit: q̄ Heraclii: siue ingenii prauitas: siue
ignauia. Mox siquidem post debellatum Cosdroem: crucemque domi-
ni tanta cum gloria receptam: horū imemor a christo beneficiorum: omni